

DE  
JURE IN RE SPECIALI,  
QVOD DOMINIUM  
DICITUR.

449  
36  
1666 17

DISCURSUS INAUGURALIS,  
POLITICO IVRIDICVS

QUEM

PRÆSIDE DOMINANTIVM DOMINO  
PERMISSU

MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AM-  
PLISSIMI ET EXCELLENTISSIMI  
JCTORUM ORDINIS, IN ILLUSTRIS  
ARGENTORATENSIVM  
ACADEMIA,

PRO


*Summis in Vtroque Jure Honoribus & Privile-  
giis DOCTORALIBUS consequendis.*

Solenni & Placidæ Eruditorum disquisitioni  
subjicit

WIRICUS GULIELMUS WITGENSTEIN,

Marco Gueſtphalus,


Die 11 Mens. Jun.



ARGENTORATI

Literis JOHANNIS WELPERI.

ANNO M. DC. LXVI.



3  
19  
15  
16  
17

Handwritten markings or a stamp at the bottom left of the page.





**N** quavis Rep. leges ita domi-  
nentur vult Aristoteles, ut quam paucissima  
judicis relinquatur arbitrio, qui enim legem  
præficit, rectam rationem, qui Judicem, is pro-  
pter animi motus, variasque perturbationes  
quibus transversus agitur, sæpe belluam præfi-  
ciat necesse est.

Hinc apud multos vapulat Jurisprudencia Romana, quæ vi-  
tio multitudinis laborare vulgo creditur, & ut videtur non im-  
merito, ipse enim Deus Ter. O. M. decem præceptis jura mora-  
lia inclusit, Athenienses Lacedæmonii aliæque gentes paucis  
vixere legibus, unde in proverbium abiit, Corruptissima Repu-  
blica plurimæ leges, quibus sæpè non minus quam flagris labo-  
ratur, hinc in bono Regimine paucæ leges esse perhibentur, nulli  
legistæ, rara interpretatos litigia, in publicis fides integra, in-  
gens libertatis apud omnes amor & generosum ejus tuendæ  
studium.

Verum pro Jurisprudencia Romana ejusque proba defen-  
sione sic fortasse regerendum est, legem in hypothesi vel propriè  
sumi vel impropiè, illo modo, describi poterit lex institutum  
sive præscriptum vel jussum Majestatis, in ordine ad aliquem fi-  
nem sive bonum sive malum Arist. 4. Eth. vel ut Cicero finit,  
*Lex dicens est justorum & injustorum distinctio ad illam antiquissi-  
mam & rerum omnium principem expressa naturam, Impropiè pro  
eo quod quocunque modo ad jurisprudentiæ ornatum, explica-  
tionem, & intellectum facit, priori modo LL. intellectæ paucis-  
simæ, vel certè non adeo multæ sunt, hoc modo, jam lusus in ver-  
bis erit, quidni enim utor verbis Amplifs. Hahnij. pag. 116. part.  
prior. edit. post. liceat & huic Nobilissima prudentia principia seu*  
A 2 præc-

*praecepta propria & communia controversias, decisiones & quacumque alia ad solidam ejus & cultiorem doctrinam pertinentia collecta habere, ut quam rectissimè edoceatur. 2.*

Et sane juris Romani plena perfectaue descriptio tribus quasi fundamentis continetur, Lex enim alia muta est quæ literarum monumentis vel moribus proditur, alia loquens quæ in Magistratibus consistit, qui LL. mutas executioni mandant, quibus tertio prudentes accedunt ad legem mutam interpretandam, & loquentem instruendam, hinc Jcti veteres tempore mediæ jurisprudentiæ (*quæ à Trebatio & aliis servij sulphitij Auditoribus incepit vid. Hopper. in seduard. pag. M. 207.*) propter auctoritatem qua pollebant ex Rescripto D. Augusti Commentariis suis qui vicem legis habebant superbi, immensum hoc jus redderant, nisi tandem illa sublata, & Justiniani accedente Censura saltem aliquod remedium allatum.

Et sane ubi Icti ibi aliter vix fieri assolet, *exemplum recens*, quot enim à tempore Azonis à seculo 12. in hunc diem usque prodidere Ddrum summulæ, glossæ, harumque explanationes, responsa, decisiones, consilia, quæstiones, commentarij, definitiones, & quocumque tandem nomine veniant? Eaque in tanta discrepantia & dissentienti libidine, ut legulei quidam contendant, jus nullum esse reipsa, nullum quod naturæ decreto constitutum sit, sed justum omne & æquum à sola hominum opinione & potentiorum placito profectum esse, facile notati Corasio, Hoppero, aliisque LL. Romanarum philosophis. vid. Amplifs. & Excellent. Dn. Bocler in not. ad Corn. nepot. §. 3. & seqq.

Quin hoc ipso sibi gloriari poterit jurisprudentia nostras, eoque nomine maximam tum apud Romanos, tum penes alios adeptam dicitur dignitatem, ad quam nullius unquam gentis, nullius populi instituta pervenere, Et sane Vigili mentis oculo jus hoc paulisper perlustranti admirabile se ipsum ostendit, per omnia præ se ferens justissima rectæ rationis principia, eaque tanta dexteritate bono civium communi accommodata, ut venerationem etiam ab invitis extorqueat, ceu de receptione hujus, in dominiis Principum Christianorum, per Italiam, Galliam, Hispaniam, Angliam, Scotiam, Poloniam, Hungariam, Daniam, Boemi-

Boemiam demonstratum iuit Vir insignis Arthur: Duck citatus Domino Hahnio, d. p. 116. quidquid sit, diximus legislatorem in id incumbere, ut leges suas quam paucas, quam certas absque determinatione iudicum proponat, Cum vero negotia civilia ob infinitam pene multitudinem circumstantiarum quæ humanarum actionum immutant naturam, prævidere & accuratè definire non possit congenita humani iudicii imbecillitas, sive ut in hunc fere sensum loquitur Italus, si perche le leggi non ponno abbracciare ogni cosa, ne providere alla varietà di tutti gl' accidenti, s' ancho perche molte altre cose sono oltra le leggi appertinenti al prencipe, senza le quali la semplice osservanza delle leggi non bastarebbe all' perfettione del buon governo &c. possintque leges, verbis ambiguis duas pluresve significaciones habentibus uti, aut etiam verba legis non sint usque adeo clara ut excludant omnem interpretationem ex bono & æquo, nec usque adeo obscura, quin mens legislatoris ex antecedentibus aut consequentibus elici possit; hinc interpretatio in omni Republica necessaria, quæ nihil aliud quam scripti juris ad singulares casus quotidie obvenientes dextra accommodatio, soletque communiter à nostris doctrinalis, explicatoria sive historica, restrictiva & extensiva, aut etiam pro diversitate tamen objecti, authentica, Scholastica, Pragmatica, Æthiologica, forensis, analogica, politica, &c. appellari.

*vid. Ioannes de Victoria, in lib. de bono princ. cap. 7.*

In quibus equidem speciebus Jcti officium vel maxime conspicuum, hic enim quia æquum & bonum rimatur, idque è profundis ac quasi sacris civilis sapientiæ penetrabilibus erutum producit, justitiamq; unicè colit, merito sacerdos ejus appellatur, veramq; nõ simulatam philosophiam affectare dicitur, l. i. d. I. & I.

At quo nos dilabimur? sanè hæc in universum est jurisprudentiæ, ejusque cultorum proba intentio, ut LL. quam fieri potest dexterrimè bono civium communi accommodentur, hoc est uno verbo, ut cuilibet in civili societate viventi exactè & ad amussim justitia administretur, quod fieri solet vel ratione personarum, vel rerum tertium non datur.

Rerum appellatione nos hac vicè & in hypothese bona civium vel potius dominium cujusque privatum, hoc est, jus in re à cæteris in re juribus specie distinctum intelligemus, ceu

A 3 quoque



quoque præsentis inscriptio discursus manifestat, mihi enim per varias Germaniæ & Italiæ Academijs, juris viridarium undique circumambulanti, feligentique aliquot, tot inter amœnissimos flores, domini flosculus arridet, quem initio postpositis alijs, casto pollice decerpere visum est, quo veritati victrici coronamenta paremus, ubi equidem, benevole Lector, si quid carpendum existimaveris, non in me, verum optimos hujus avi interpretes incurres, è quorum hortulis hæc lilia decerpsi.

Enimvero quantum ex sacris & profanis docemur jus illud quo res cuique propria est cum homine natum, eique post creationem à datore rerum omnium Deo collatum est; *Gen. 1. v. 26.* primævum itaque rerum statum si consideres inquit Justinus, *erant omnia communia & indivisa omnibus veluti unum cunctis patrimonium esset*, unde Hesiodus sub aurei seculi nomine Beatissimam hanc hominis conditionem adumbrans, summam ejus felicitatem commemorat, quem imitatus Ovidius aliique Poëtarum Ocelli in hunc fere modum cantant.

*Ante Iovem nulli subigebant arva Coloni  
Nec signare quidem aut partiri limite campum  
Fas erat, in medium quærebant ipsaque tellus  
Omnia liberius nullo poscente ferebat.*

Et alius

*Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo  
Sponte sua sine lege fidem, rectumque colebat.*

Ast crescente paulatim hominum numero, exorta cupiditate & malitia, necessitas secundum principia externa fecit, ut ad distinctionem dominiorum tanquam ad transactionem ut ait plato fuerit veniendum, terræ in gentes & familias dividi cæperunt, prænomina illa meum & tuum orta.

*Tunc cades hominum generi, tunc prælia nata,  
Tunc brevior dira mortis aperta via est.*

Distinctis enim ita necessario & utiliter rerum proprietatibus, modi insuper acquirendi, transferendi & conservandi excogitati sunt, exinde distinctio juris in re & ad rem nata, quæ veluti generalis, & quasi terminus transcendens, omnes fere juris materias in sese complectitur.

De jure ad rem & ejus objecto, obligatione sive naturali,  
sive



sive civili, sive mixta, dicere nihil attinet, jus in re definitio potestatem circa rem constitutam, rem ipsam afficiens cum glossa.

Jus hoc quadruplex statuimus, dominium scilicet, servitutem, pignus & possessionem, cum egregio JCorum vertice, Venerando Domino Seniore, Domino Patrono & Promotore nostro Domino Joanne Rebannio in *Hodeget. pag. 214.*

Nobilissimum in re jus dominium perhibetur, hoc enim solum in rei, seu corporis naturalis substantiam comparatum est, cætera in rem jura in accidentia & qualitates tantum, hoc vero à domo Dicitur ait *Wesenb. ff. h. n. 2.* sive quod nostra communiter ad domo appellentur domestica, sive quod olim, rerum dominia, domesticis finibus concluderentur, quo facit illud Ennii Poëtarum Antiquissimi

*O Domus antiqua quam dispari domino dominaris. 1.*

Et tripliciter ferè in legibus Romanis accipitur, 1. latissime quamcunq; potestatem ad aliquid denotat, & hac ratione Imperatorem Mundi Dominum dici, ait Dominus Hahn. & huc l. 9. ad L. Rhod. restringit, de cujus veritate videbimus infra, hoc modo procurator Dominis litis ejusque post L. C. habere dominium dicitur l. 22. 23. C. Mand. hac ratione omne jus sive circa personam, sive rem potest Dominium, & alias propriè Patrimonium dici, l. 1. §. 7. d. offic. pref. urb. 2. quodcunque jus in re denotat, servitus enim, pignus, possessio, hereditas veniunt voce domini l. 3. si usus fr. per. 148. d. solut. 3. In eadem materia denotat jus in re à ceteris specie distinctum, sive jus illud quo res propria est, quæ genuina hujus loci est significatio. vid. l. 13. §. 1. C. d. judic.

Hoc modo rectissimè definitur à Bonacina, quod sit jus & facultas Disponendi ad suum libitum, suo nomine, de re aliqua modo non prohibeatur, cum qua ferè coincidit illa Sutholdi quod sit plena in rem potestas sive jus de re pro arbitrato statuendi, & illa Boceri, quod sit jus in re qua ea patrimonii nostri est, proque nostro arbitrio recte tractari potest, & ista Riemi quod sit jus dominandi rei nostræ, & alia Bartoli quod sit jus de re corporali perfectè disponendi vel eam vindicandi, & ultima Baldi Dominium proprietatem cum plena alienandi potentia definitis. vid. Cyn. in l. 3. ff. h. ubi alias affert Domini definitiones, ex ejusque descriptione ait pendere legem & Prophetas.

Modos

Modos insuper acquirendi vel naturalis ratio prodidit, vel à jurisprudentia Romana æstimantur, hi civiles dicuntur, vel quod à Populo Romano introducti, vel novis qualitatibus ab eodem informati, quique Dominium tribuunt non naturale seu bonitarium, sed pleniùs quod ex jure quiritorium seu quiritarium appellatur, quorum finis in genere dici potest, ut mediantibus his vitæ subsidia paremus, tum & Reipubl. in qua vivimus quavis emergente necessitate possimus succurrere, eamque adversus hostium incursiones tueri, ob hæc enim & similia locupletes habere cives expedit quod & ille Imperator Romanus censuit, qui ararium suum tutissimum ponebat in cistis subditorum *Conf. l. 49. d. v. §.*

Dominium sic rectè acquisitum multiplices producit effectus, quorum præcipui sunt 1. Jus reale rem ipsam afficiens. 2. Rei vindicatio, illud est jus de re propria disponendi, quod vel laxius vel strictius est, prout dominium quoque vel plenum vel minus plenum.

Rei vindicatio est domini seu proprietatis assertio, vindicare enim est quid sibi asserere, vel ut Wesenbecius definit, actionem realem, qua quis petit se dominium rei controversæ declarari, & eam officio judicis à possessore sibi restitui. *l. 68. d. R. V.*

Agitur vero in Hypothesi cum illo qui nullo jure nobis obligatus est, ut dicitur in *l. 25. d. O. & A.* ut intelligamus, non esse inter personam ejus qui in rem agit, ejusque cum quo agitur, affectionem relationis, qualis est inter creditorem & debitorem propriè dictum, sed actioni in rem locum facere solam rem possessam, non vinculum aliquod personale, est enim verò actio realis cum non ex obligatione, sed alia causa jure scil. in re, judicio experimur, cujuscunque generis jus illud sit, sive Dominium directum, sive utile, sive servitus, sive possessio, sive pignus, etsi enim dominium ut principale jus in re præcipua est actionis in rem causa, & ideo quæ inde nascitur actio per antinomiam actio in rem & rei vindicatio absolutè dicitur, non est tamen causa actionis in rem sola, nisi forte appellatione domini latius sumto vocabulo cetera quoque in rem jura comprehendas. *vid. Sub. Diss. 17. th. 34.*

Cum

Cum verò exacte probandum sit *Wes. Conf. 2. n. 83.* & non præsumendum nisi constet de principio ejus *Ich. conf. 157. num. 3.* *Paul. de Cast. conf. 263.* ubi in terminis dicit non probari dominium per testes sine causa deponentes, licet non interrogatos vid. *Dn. Rosb. pag. 418. n. 26.* unde hujus probationem valde difficilem esse mirum quam inculcent *Ddres:* fit inde ut verus Dominus sub qualitate b. f. possessoris publicianam cum rei vindicatione cumulare possit, ex ratione. *l. 1. §. 4. quod. legat. vid. Myns. 4. Obser. 11.* quæ opinio licet *Bachovio* & ejus asseclis *Mira,* imo ridicula videatur, nihilominus *ex l. 7. §. 8. d. publ. in rem act.* rectissimè videtur probari, in publiciana enim actione omnia eadem erunt quæ & in rei vindicatione, atqui Verus Dominus rei vind: sine dubio habet, go. idem quoque publicianam, major ex eo probatur quod Verus Dominus utique non debeat esse deterioris conditionis quam non Dominus *Arg. l. non solum. 13. ff. de noxal. act.* & hæc rectissima *Ultramontanorum* est sententia, consuetudine & stylo curiæ approbata. *vid. Gait. 1. obs. 62. n. 5.* à qua dissentit *Donellus, Giphanius, Sneid. Harp. Vult. & novissimis Dn. Vngepaur.* quorum *scrinia* modo non compilo.

*Exerc. 14.  
quest. 4.*

Porro plurimas domini species Vulgo constituunt *Dd.* quæ tamen pleræque *Magistrales* nullæ aut saltem paucissimæ textuales sunt.

Duæ sunt partes eminentiores vel constituentibus dominium, *proprietas* in specie sic dicta & *ius utendi fruendi*, §. 44. & seq. *Instit. de R. d.* has partes vel junctas quis habet, vel alteram tantum, alteram alii concedens, & vel perpetuo, & simpliciter cum potestate alienandi, vel ad certum tempus & sub conditione alienatione prohibita, prout commodum visum fuerit, & ex his principiis promanant omnes domini divisiones, quæ & actionem realem inde descendente variant.

A causa efficiente dominium aliud legitimum dici potest, aliud prætorium. 2. aliud verum, quod *Jure Gentium* vel *Civili* verè acquisitum, aliud fictum quod acquisitum vel non amissum fingitur, quali b. f. possessor gaudet cum hoc temperamento quoties lex impedimento non est.

Tertiò aliud plenum, aliud minus plenum, illud commode dici potest, cum quis & rei proprietatem habet, & omne ejus

B

emolu-

emolumentum, ideoque hoc iterum subdividitur in directum, das ober oder grund Eigenthumb / unde Dominus directus vel Proprietarius, der Engenthumb Herr / oder der Erb. Herr dem die Engenschaft oder Erbrecht gebühret / vel utile, das nutzbar Engenthumb / oder die erbliche Nutzbarkeit / qui termini juris feudalis cultoribus solent esse loco principii.

Ex accidenti aliud dominium revocabile est, aliud irrevocabile, vid. Schota. in Examin. pag. M. 57. illius exemplum est si quis dominium ad certum tempus, auff ein Widerkauff / vel sub certis conditionibus acquisivit. vid. l. 12. §. 2. ff. fam. Erisc. l. 66. de R. V. l. 205. & R. 1. Ita bonæ fidei possessor respectu alterius non domini habere dominium dicitur, Ita heres institutus hereditatem restituere rogatus dum vivit verus est dominus adita hereditate, nec non rei dotalis constante Matrimonio Maritus pervulg. habet enim jus utendi fruendi, servum dotalem manumittendi, l. 3. C. de Jur. dot. Mulier autem vocatur domina per anticipationem quatenus dos soluto matrimonio certo ad eam est reditura, sine retrotraditione, atque ita ob spem illam fictione juris habetur pro eo ac si de præsentis rediisset.

Huc refert & Wesenb. l. 11. ff. de lib. & post. vocat enim lex filios familias rerum paternarum dominos, unde & sui heredes dicuntur tanquam sibi ipsis succedentes §. sui autem Instit. de hered. qual. & diff. & patre mortuo non dominium de novo consequi sed potius continuare existimantur: Idem sentit *Altiatus lib. 2. parach. c. 15.*

Verum minus rectè, dominium enim debet esse jus circa rem jam concessum, filius verò vivente Patre nullum jus habet arg. l. 63. ff. ad. l. falc. Spes itaque tantum est & potentia succedendi, quæ & ipsa tamen est non ens, ante mortem patris radicem vel causam generantem non habens, uti loquuntur Dd ut adeo talis spes sit quidem actus voluntatis sperantis, sed non spes juridica, quod ex eo fit longe manifestius, quod filiusfam. ad cautionem iudicio sisti cogendus sit, secus ac Mulier, quæ ob spem restituendæ dotis tanquam locuples ad cautionem hanc non astringitur, patet ergo abusivè filiumfam. vocari Dominium & fortasse honoris causa ut cum Nesen. ad Paulum scribeus ex facto inquit

inquit *Domine* talis species incidit. l. 12. ad l. *falcid.* l. 1. §. 7. ff. ad S. C. *Syll.* l. 41. §. 4. de *legat.* 3.

Communiter enim & usus *Moratarum* gentium observat ut per vocem *Dominus* reverentiæ & benevolentia, & affectionis interioris significatio denotetur, sic alibi vocantur domini quorum nomina nobis non succurrunt, ut in l. 21. ff. ad l. *falcid.* & apud *Martialem*.

*Cum te non nossem dominum Regemque vocabam*

Et *Ovidium*

*Et mihi blanditias dixit dominumque vocavit.*

Ita debitor creditorem. l. 26. 27. ff. de *constit. pecun.* Uxor maritum *Gen.* 18. v. 12. l. 88. §. 2. ubi *Goth.* ff. de *leg.* 2. l. 37. §. 2. & §. ff. de *legat.* 3. alloquitur, quid Mirum? sane *Matronæ* quoque ex sese non contemplatione & respectu *Maritorum* dicta *Domina*, Ita uxor *domina* cohærens dicitur *Nor.* 74. c. 4. *Domina* sanctissima. l. 19. §. 1. de *ann. legat.* quibus viri ob concubitus ab anno 14. ætatis sic blandiebantur *Cujac.* 3. *Obf.* 18. qui tamen *dominatus* non ultra *colum* & *pensum*, & *fusum* extendendus est monente hactenus recte *Forstero*, hinc *Itali* forsan *donna*, *donzella* *donzello*, & vero hodie dum titulo & voce domini nihil est usitatus, *Itali* per verbum *Signor*, efferunt, unde in communi sermone dicitur, *Signor Mio io son Servitor di vostra signoria*, *Hispani* per verbum *Sennor*, *Germani* per verbum vocem, *eines Herren* denotant, quæ locutiones in qualibet regione *lippis* & *tonforibus* quoque sunt notissima. Imo etiam quandoque & utinam non sæpissimè, *Cavillationis* gratia quempiam dominum vocare solemus, id quod suo tempore quoque observavit *Martialis*, ita canens.

*Cum voco te dominum noli tibi Cinna placere*

*Sape etiam servum sic resaluto meum.*

Hoc modo obvios quoslibet etiam *nautas* & *aurigas* *Itali* vocant *dominos*, unde per allusionem dicitur quod dominus dicatur quasi *Domina*. Vid *Magnif. Amplif. Consultif. & Excelentif.* *Dn. D. Rebhan.* *Syncerioris Jurisprudentiæ lumen Academia nostræ columen, Patronum & Promotorem nostrum sempiterna grati animi memoria devenerandum in Hodeget. juris pag. 215. 216. 217.*

A 2

Addunt

Addunt his nonnulli divisionem, domini in rei & juris hoc est, rei corporalis & incorporalis, post alios novissimè Petrus de Greve Scholæ Noviomagensis Antecessor, argumento ut arbitrator parum decore traditionem esse rerum incorporalium ergo & dominium, Movetur insuper per l. 3. ff. si ususfr. Pet. l. 15. §. 8. ff. quod vi aut clam, verum pressius inspicienti textus singulos quos allegat, apparebit nullum prorsus Tibicinem inde fabricari posse, cui firmiter innitatur Greve, de dom. disp. 1. ass. 1.

Melius profectò & Majori cum utilitate dominium aliud jurisdictionis & juris, aliud proprietatis constituitur, aliud enim est inter personas publicas quandoque territoria vel provincias jure pleno hereditario vel usufructuario tantum habentes aliud interpretatos.

Absit verò ut hoc prætextu principi in subditorum bona impune grassandi licentia permittatur, quæ alioquin est sententia Machiavelli, in lib. un d. princ.

*Nec tibi quid liceat sed quid fecisse decebit,*

*Occurrat mentemque domet respectus honesti.*

Neque enim hic de summa & absoluta principis potestate sive plenitudine potestatis, quam uno verbo Majestatem appellare consueverunt politici, aut etiam publicæ utilitatis suasionem differendi locus est, Videat qui volet Andr. Gail. lib. 2. obs. 56. Covar. 2. Var. Ref. 19. Arnifæum Besoldum & alios Majestatum propugnatores illud addo Dominium juris consistere non quidem ratione rerum singularium, sed respectu universi, non in privato moderamine, sed publica tutela, non ad quæstum & lucrum principis, sed pro utilitate Imperii procuranda, l. precipimus C. d. Appell. Non secundum privati arbitrii libidinem sed secundum legum ordinem & præscriptum, non dominio sive proprietate, sed Imperio & jurisdictione, non in actu & usu, sed potentia & utendi potestate, non ad explicationem, sed Reipublicæ sustentationem, Nicola. Everhard. Jun. Consil. 7. n. 13. ubi passim multa de universali dominio tradit.

Patet ergo quam sit absurda Henrici Quinti Imperatoris sententia, hic cum non procul à Bononia illustrem cujusdem Nobilis arcem præteriret, Quæstio incidit, an ea Arx etiam Imperatoris esset, Juris Consultorum duo vehementer inter sese disceptabant

ptabant, hic affirmat, ille negat, arbitrum faciunt Imperato-  
rem, hac dicta utrimque lege ut equo donaretur victor, cuius  
pretium victus solveret, Imperator sententiam fert, *recte omnia  
dici Imperatoris*, ut sæpe iudices sibi ipsis blandiuntur, in quam  
sententiam quidem pseudopoliticus tale epigramma conci-  
navit.

*Non ideo calcabis equum quia feceris equum,  
Equum qui faciunt, his male currit equus,  
Æqui hostes vectantur equis pedes ambulat equus,  
Ergo sperne equum, ne tibi desit equus.*

Hoc loco movenda est quæstio celebris & multum elegans ma-  
gnaque cura & circumspeditione indigens, ob quam Dd. ad unum  
omnes magnopere inter sese digladiantur, Num Imperator Do-  
minus Mundi sit, affirmat Bartolus, summum illud Jurisconsul-  
torum decus, adeo ut contrariam sententiam hæreseos postulare  
non dubitet, & forte recito verba Bartoli *in l. hostes ff. de capt. &  
postl. rev. n. 7. si quis diceret Dominum Imperatorem non esse Do-  
minum & Monarcham totius Orbis esset hæreticus, quia diceret  
contra determinationem Ecclesie, textum S. Evangelij, & c.*

Bartolum tanquam antesignanum sequitur Hostiensis &  
plerique Canonistæ quorum Catalogum texit Arnifæus *lib. 1. de  
Iur. Majest. c. 2. n. 2.* ex quo illi qua rerum sunt ubertate & co-  
pia multa inferunt specialia, hinc cum Impp. in *l. cunctos pop. Cod.  
de Sum. Trinit.* addant hæc verba, *quos nostra Clementia regit Im-  
perium* respondent Relativum quos ibi accipi implicative & de-  
clarativè non vero restrictive, moventur per textus *in l. depreca-  
tio ad l. Rhod. in l. bene à Zenone C. de quadr. præscrip. quibus addi  
possunt ea, quæ disputat Petrus de Andlo. lib. 2. de Imp. Rom. c. 8. &  
Covarruvias in resolutionibus.*

Partim vero auctoritate S. Scripturæ, quam in hunc sensum  
torquent. *Luc. 2. Dan. 2. & 7.* tum etiam auctoritate Plutarchi,  
qui Romanum Imperium velut anchoram fluctuanti Mundo fu-  
isse scribit, & Livius *nulla ait unquam Respublica, nec major, nec  
sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, unde Poëta.*

*Gentibus est, alijs tellus data limite certo  
Romane spatium est, urbis & orbis idem*

Et alius.

B 3

Terra-

*Terrarum Dea Gentiumque Roma,  
Cui par est nihil & nihil secundum*  
Et Petronius arbyter. in Satyr. inquit,  
*Orbem jam totum Victor Romanus habebat,  
Quam mare, qua terra, qua sidus currit utrumque.*  
Quare Virgilius noster Romanos magnificè commendat his  
versibus.

*Tu regere Imperio Populos Romane momento,  
Ha tibi erunt artes pacisque imponere morem,  
Parcere subjectis & debellare superbos.*

His & similibus motus iterum alio loco Bartolus asserit totum Mundum esse Imperatoris Provinciam, Imperatorem esse potentem Rerum terrarum hominumq; Dominum, addi potest Symbolum Ludovici IV. qui hac inscriptione usus fertur.

*Roma caput Mundi Regit Orbis frena rotundi.*

Imo Domitianus eo superbiæ proVectus est, ut omnium edictorum exordium ita fieri jussit, Dominus Orbis & Deus noster hoc mandat, unde in communi sermone Titulus sic ei tributus est, Dominus Deus noster Domitianus.

Verum Jureconsulti cordatiores illi maximè, quibus

*De meliore luto finxit præcordia titan,*

audacter Bartholo contradicunt, & sane magnum errorem errat Bartholus cum sui sequacibus, quod erudite Dominus Covarvivas ostendit, qui in resolutionibus suis si rectè memini quaestionem ad tres hypotheses revocat scil. 1. An Imperator sit Dominus Mundi de jure naturali, quod Gentium vocant. 2. An jure positivo, & denique. 3. Num ex concessione pontificis & de omnibus ni Fallor absolute negat, quod de primo reor non esse, non longe clarissimum, constat enim, innumeras Gentes, potissimum ultra Euphratem Romano Imperio nunquam fuisse subditas, sed multas fœderatas æquali jure multas iisdem formidabiles cum quibus pacem fecisse gavisi fuerint. *l. non dub. 7. l. 5. §. in pac. ff. de cap. & postl. rev. & quod Scytia Sarmatia, & ultra Euphratem fluvium universus Oriens Romanis nunquam paruerint, post alios testatur Altiatus, vid. Conring. in doctissimo Tract. de finibus Imperij.*

De Jure positivo possit videri magis controversum ob textus

tus



tus citatos & notata *Schenkij. Baron. in c. 1. de feud. March.*

Sane hoc jure vel per electionem, vel successionem Imperator dominium orbis consequutus esset, quorum dici neutrum potest, & vero id ipsum satis apertè arguunt textus in *l. Mercat. C. de com. & Merc. l. 3. C. de offic. pref. Afr. l. 2. C. de V. l. E. l. postlim. ff. de Capt. & postl. Rev. l. Romana. C. de Eunuch.*

Sanè negandum non est, magnam fuisse Imperii Romani amplitudinem, adeo ut secundum Tacitum, nulla re amplius quam mole sua laboraverit, ut illius nec fama terminum, nec Gaza modum invenirent, quippe quod extra anni solisque Vias progressum dicitur, cui proinde maximam & ævo duraturam felicitatem divina ominentur testimonia, quin attamen totius orbis Dominium sibi vendicet, nullo jure defenditur, jam tum enim notissimum est ne decimam quidem orbis partem Romanis paruisse, & florentissimum olim Persarum Imperium centum & triginta septem provincias complectebatur, si fides historicis & hodie dum latius dominantur Hispani quorum Regnis nunquam Sol occidere dicitur. Proinde generalitas in *l. 9. ad. l. Rohd. ad orbem Romanum restringenda erit, cum alias quoque juris sit quod ob medium in habile generalis locutio non operetur, nisi in quantum possit, Eberh. à Midd. loc. 5. aut saltem hæc locutio universalis ratione jurisdictionis aut protectionis, aut saltem de rebus quæ in terra gignuntur, quibus sic opponuntur res Maris aut ad minimum Synecdochicè erit interpretanda, Suth. de jurisd. Danielis vero Vaticinum plus famæ quam veri habere jamdudum notarunt sanæ mentis Theologi ut adeo cum ratione insanire videatur Bocerius qui totum orbem quo ad jus acquirendi Imperatoris esse contendit, boni enim principis officium esse, ait, ut omnem terrarum orbem Imperio Romano subjiciat, & ita Capit. d. l. 9. & d. l. bene à Zenone cum similibus. Sit ut sit hoc experientia testatur, hodie dum Germaniam ne quidem sartam tectam superesse, ut loqui liceat apte cum Poëta.*

*Roma fuit quondam terra Regina marisque*

*At nunc nec terras, nec mare Roma regit.*

Interim vero verius reliquias Imperii Romani Imperatori nostro auctoritatem supra omnes Reges conciliare, & hoc ipsum Philippus Magnanimus Hassiæ Landgravius, inter singularia  
commo-

commoda Carolo V. objiciebat, *Sleid. lib. 17. prerogativa argu-*  
*mentum desumitur à Majestate urbis terræ marisque totius prin-*  
*cipis Natta Consil. 638. n. 12. & seqq.* unde Imperium suam accepit  
 denominationem robur & incrementum, quæ est Roma omni-  
 um dignitatum apex & omnis magnitudinis decus legum Pa-  
 tria & fons sacerdotii *Novell. 9. in princip.* Unde Hispanus pro-  
 verbialiter dicere amat, Roma es buena ciudad para qualquiera.  
 Italus, Roma è buona città per qualsiuoglia. Partim à rati-  
 bus antiquitatis quo enim quid antiquius eo in genere suo di-  
 gnitatis ordine censetur *Nobilius l. 1. ff. d. alb. scrib.* Nullum  
 vero in Orbe Regnum vetustius Imperio unde Poëta.

*His ego nec metas rerum, nec tempora pono*

*Imperium sine fine dedi.*

Quare non immerito Imperator tanquam Stella Matutina in me-  
 dio nebulae meridionalis inter omnes Reges eminere dicitur.  
*Rosent. de f. c. 8. Concl. 15.* velut Monarcha dignitate maximus  
*Rulant. de commiss. p. 2. lib 5 o. 4 n. 2.* Supremus omnium prin-  
 cipum princeps in rebus hujus seculi *Chassan. in Catal. glor.*  
*Mundi part. 5. Conf. 27.* Cuique Reges olim sponte ministra-  
 runt ac depositis sceptris & fasciis regalibus pro cubiculariis ser-  
 vierunt. *Bodin 2. de Repub. cap. 2. pag. 898.* Unde Carolo V. lu-  
 tetiam ingressio sic acclamatum fuisse perhibent historici.

*Post ceteros  
 Christianus  
 Mathia.*

*Alituum ut Princeps aquila est sic altera Gallo,*

*Gloria vos alia nil nisi vulgus aves.*

Imo Turcæ hereditarii alioquin & infensissimi Imperii Romani  
 & totius Orbis Christiani hostes Imperatorem nostrum Præci-  
 puum agnoscunt Orbis Christiani Caput & usitato stylo tali  
 affantur titulo. Auf den Potentaten Jesu der fürnembste / vnd  
 zwischen dem geschlecht Jesu erwöhlter vornembster Herr/aller  
 Christlichen Völcker / ein Versorger vnd Administrator der Ge-  
 rechtigkeit / vnser Nachbar vnd guter Freundt Matthias. *Vid. ve-*  
*lat. Francofurt de an. 19.*

Sed septa ne transiliisse videatur discursus noster forte non  
 absre erit, atque intempestivum vestigia relegere denuò, ut er-  
 go diverticulo in viam redeamus consequens erit de amissione  
 Domini paucula differere, ubi sciendum inquit Wesenbec.  
 üsdem omnino modis Dominia amitti, quibus acquiruntur.

Hi

Hi modi partim ex solo facto hominis proveniunt, partim ex ipso jure, vel potius lege cooperante. *Vid. §. 1. Instit. VI. bon. rap.* Factum hominis hic in genere dici potest, alienatio quo pertinent iradio usucapio, donatio, & omnes illi modi, quibus id quod alicujus fuit, alii acquiritur, ubi unius privatio alterius habitum inducit.

Lege adminiculante fit amissio propter delictum Domini, sic à justo Domino res aufertur qui in solvendo Vectigali fuit, aut negligens, aut contumax. Lex enim quæ certis rebus vectigal imponit, & hoc nisi publice persolvatur, res committi voluit, justa est, recta ratione ipsammet corroborante, quæ vult ut oblige- mur patriis legibus, & eas qui contempserit, ut pœna legitima teneatur, ratio est inquit Grotius *de jur. bell. lib. 2. cap. 2. num. 5.* quia ad gubernationem populi moraliter necessarium est, ut qui ei vel ad tempus se admiscant, quod fit intrando territorium ij conformes se reddant ejus populi institutis nec caret hæc res exemplo antiquitatis; Ita Vectigal equorum qui Isthmum Syriacum transibant accepisse Salomonem legimus, sic ditati Massilienses ex fossa quam ex Rhodano in Mare Marius duxerat.

Similiter si quis nondum finita lite de finibus, locum de quo est controversia occupaverit, & victus fuerit, alterum tantum Victori præstat, si locus ipsius proprius, sufficit eum dominio excidisse, *l. 7. unde vi*, bene enim & prudenter juxta principia politica constitutum est, ut sine vi & tumultu Cives cum civibus contendant, nihil manu, nihil proprio agant impulsu, alioquin vincula quietis publicæ dirumpi necesse est, Civesque ad rixas & arma quotidie procedere. *l. 176. de Reg. & Jur.* licet videri possit hodie dum *alleg. l. 7.* minimum aut forte nullum superesse usum, postquam rapinæ nomine criminaliter agi, & enormior violentia etiam morte puniri cœpta, & eam communi totius Christiani Orbis usu antiquatam esse testatur *Covar. 3. resol. 16. num. 7. & Sarment. 2. select. interpret. 13. n. 7. & Brun. in d. l. si quis dissentiente licet Menochio, recap. poss. remed. 9. n. 8.*

Porro cum publicantur bona, id est in fiscum publicum rediguntur à Magistratu summæ potestatis, *l. un. c. ne fin. jus. princip.* cum hoc casu fiscus in bonis damnati loco heredis habeatur, & proinde creditoribus ex bonis publicatis satisfacere debeat,

C

Gail.

*Gail. de par. publ. lib. 2. c. 16. num. 8.* Non est dubitandum quin prior Dominus rerum suarum Dominio excidat.

Quod idem in Bannito Imperij obtinet, hic enim cum sit communis omnium hostis & ex numero Civium Romanorum deletus, sicq; membrum abjectum nec privilegiorum, nec beneficiorum juris comunis vel Imperii capax amplius, hoc est quod sit extra fidem & clientelam Cæsaris & Imperii fit ut omnes actiones obligationes, pactiones & conventiones ex parte Banniti sublatae & extinctae sint, hoc est, quod dicitur volenti justitiam denegari,

*Arg. l. un.*

*c. d. nund.*

*Goth. in not.*

*ibid. & ad*

*l. 4. ff. d. pæn.*

*lit. 5. Geil.*

*d. p. 2. Obs.*

*num. 23.*

Quod idem in formula sententiae solet exprimi hoc modo, An statt Keiserl. Majest. denunciiren vnd verkunden wir denselben N. in solche Keiserl. Majest. vnd des H. Reichs Acht / setzen ihn auß dem Frieden in Unfrieden / vnd erlauben sein Leib / Haab vnd Gut gedachtem Kläger vnd jedermänniglichem.

Huc & referendi sunt indigni qui ex hereditate defuncti quidem capere possunt, & revera quoque capiunt, sed retinere nequeunt, quod indigni judicentur. *tit. ff. de his que ut indignis*, ut si iudicium defuncti impugnet, qui antea ex Testamento quidpiam percepit. *l. 5. d. tit.* si quis temere instituerit falsi testamenti accusationem. *l. 8. D. eod.* & generaliter indigni sunt vel iudicio testatoris, vel legis, quae ulterius pertractare instituti ratio non patitur.

Illud Colophonis loco addere lubet interdum dominium non amitti sed imminui, adempta scil. alienandi potestate, quod varie fieri solet, praecipue vero tripliciter Testamento, conventionem vel lege, *l. fin. C. de reb. al. non al.*

*Nov. 159. in*

*pr. l. 7. C. d.*

*adm. tut. l. 4.*

*C. d. fideicō.*

*l. 7. C. de te-*

*stam. man.*

*l. 2. C. qui*

*non poss. ad*

*lib per l. 77.*

*§. 27 ff d. leg*

*2. nov. 119. c.*

*11. nov. 120.*

*c. 9.*

Quandoquidem enim ut universa Respublica est in manu & potestate summae Majestatis ita & res seu bona Civium sunt in Dominio Principis universali, fit ut Princeps etiam possit, de bonis subditorum disponere dirigendo eorum usum ad publicam seu communem utilitatem, hac de causa saepius potestas illa quam Minorum quisque in res suas habet, lege civili restringitur & determinatur, ut ita verus Dominus alienare non possit, & vice versa non Dominus alienandi tamen potestate gaudeat, licet enim effectus domini regularis sit tamen alienare tollere tamen hunc poterit τὸ κρείττον habens quoties id exigit utilitas Reipublicae ut dictum est.

Ita

Ita maritus constante Matrimonio revera dotis dominus est, nihilominus fundum dotalem alienare prohibetur, speciali lege lata, quæ Julia ab authore nominatur, nec enim ut generaliter loquar substantiale dominio *ad* alienare sed illius effectus & accidens quod re salvâ abesse possit ceu in Vasallo & Emphyteuta non est non conspicuum.

Et hic tandem pro hac vice subsistere cogimur, non tam ob deficientem materiam quam ob instantem promotionis diem, ulteriorem interim & accuratiorem hujus sit satis subtilis, sic satisfactionem alii tempori, alii scribendi modo reservantes: Ast quid restat? Nil nisi soli sit gloria Deo, hinc omne principium huc refero lubens exitum.



## COROLLARIA.

### I.

**A**ristotelem dicere solum legimus, alio atque alio modo quæstionibus respondendum esse quærunt quidam, dicebat ille, an ignis caleat, fac ignem tangant, sensus ipse idoneus qui ejusmodi quæstioni respondeat, quæro ego, num actio Franciscanorum ab extraordinariis justis principiis introducta, ad res non fungibiles sit extendenda? veritatis amor Negandum esse dicitur.

### II.

Meretricem è lupanari extractam, in uxorem ducere, charitatis operibus accenseri dicitur, itemq; in peccatorum remissionem proficere, C. inter opera, extra de Spons. sunt inde concludentes, damnato in foro fori quoq; capitis poenam remittendam, si matrimonium cum ea, quæ palam corpore quæstum fecit, inire para-

paratus sit, quam sententiam nos & ineptam esse, & absurdam, & à rationibus juris abhorrentem demonstrabimus,

## III.

Tiberius Imperator jusjurandum perinde aestimabat, ac si quis jovem fefellisset, Philippus Macedo juramento veluti moneta publica utendum censuit, imò verò Lysander veluti pueri astragulis ita fide data lusit & juramentis: an non ergo lege positiva in perjuros blasphemosve nullum omnino dictabitur supplicium? resp. in Rep. bene constituta talis animadversio non utilis solum, sed & cum primis necessaria est, quod ex l. 2. C. d. R. C. subtili ratione indagare conabimur.

## IV.

Remedium restitutionis in inregrum extraordinarium esse vulgo statuunt Ddres à veritatis tramite declinantes, mihi hanc omni modo tutari annitenti, sub negantium vexillis militare perstat sententia, ast Discursus & exercitii gratia utriusque opinionis me defensorem sisto.

## V.

Colophonem imponat vulgaris & trita, non levitè tamen ventilata disceptatio, num Constitutio Frederici Imperatoris *in anth. sacramenta puerum* relata, contractibus validis & invalidis applicanda forsàn, affirmat Martinus & Citramontani, Negat cum Ultramontanis Bulgarus, atq; hæc listotam Jurisprudentiæ Scholam conturbavit, mihi circumspectis hinc inde rationibus & argumentis Bulgari sententia semper visa probabilis, vera Martini.



I.

*In Honorem Nobiliss. Clarissimique  
Domini Doctorandi.*

**S**temmate quod claro natus, tua Patria norat,  
Witgenstein, multò clarior ipse manes,  
Legem si tuleris, quam jure tenere teneris,  
Sic minus haud celebris jure peritus eris.

Sic longe celeberrimo Domino Doctorando,  
Fautori & Conterraneo suo colendis-  
simo accinere voluit

Joannes Henricus Sonborn,  
U. J. D.

II.

*Anagr. ex nomine Guilielmus Witgenstein.*

Euge jus tuum intelligis.

**E**uge Tuum, quod curæ est, jus intelligis aptum,  
Nominis ut secum, fert Anagramma Tui.  
Multos sic cumulas culmos famæ, atque lapillo  
Albo ut nomen habet, rite notandus eris.

*Giessa Hassorum transmisit*

M. Eberardus Osterman.

**P**ectore qui sedulo magnorum asserta Virorum  
 Evolvit, studis digna brabea feret.  
 Cum facis hoc strenue, *Clarissime*, nemo negabit  
 Praemia digna: Tibi prospera cuncta precor.

Clarissimo Domino Candidato amico  
 suo honoratissimo exiguum hoc  
 apponere voluit, debuit

Theod. Spoltman. LL. St.

## IV.

Zugend Ruhm ist Ewer Geblütze/  
 Jugend gleich den Felsen stehet/  
 Weißheit liebet Ewer Gemütze/  
 Weißheit nimmer nicht vergehet/  
 Und des Baldi hohe Gaben/  
 Ewren Geist zur Wohnung haben.  
 Drum die Seiten Saffo rühret  
 Unsers vnmueths trösterin/  
 Und die Göttin Flora führet/  
 Himmelschlüssel Rosmarin/  
 Winden eine Blumen-Krohne/  
 Themis deinem lieben Sohne.  
 Gott Apollo nidersihet/  
 Euch zu Straburg Edel macht/  
 Fama schon die Ohren spihet/  
 Heist willkommen ewren pracht.

Flies



Fliegend durch die Wolcken dringent,  
Überal die Botschafft bringet.

*Ita Nobiliss. Domino Cand.  
congratulatur*

Alexander Joannes Grolman.  
LL. Stud.

v.

*Ottava*

Del Signor Benedetto Rolandi M. D. L. I.  
in Argentina.

*In lode del Signor Guilielmo Witgensteino (che viene  
interpretato Pietra bianca) della Città  
di Bochumo in Vesteffalia.*

**E**Cco Guilielmo Pietra bianca,  
A cui dottrina, è ualor non manca,  
Che uole di se uero segno dare  
Publicamente, per poi arriuare  
Al d' Apollo, e di Minerua bramato  
Freggio, e succeder' al Consolato  
Della Patria, e del Padre sagace,  
Ne' detti, e fatti sempre uerace.

*Sonetto.*

Dell' istesso all' istesso.

**S**iforet in nudis virtus aut Gloria verbis,  
In laudes facerem Carmina mille tuas  
Nobilitare potest nostram tua gloria Musam  
At tibi musa potest addere nostra nihil.

**H**unc actum sequitur, *Wirgenstein*, Doctor Vtrius  
 Juris, quem Te Mox, nostra vocabit ovans  
 Argentina gravis: Gravis es post Doctor Vtrius  
 Juris, cum legem jure locare scias.  
 Fiat: JOVA velit coelo benedicere summo  
 Caëtris, ut dextrè caëpta tenere queas.


Hæc debitâ observantiâ  
 Nobilissimo & Gravissimo Domino  
 Doctorando, Fautori & Con-  
 terraneo suo summe pro-  
 sequendo apponere  
 debuit

Henricus Wisman, SS. Th. Stud.  
 Marco · West.

F I N I S.







Strassburg, Diss., 1665-66

ULB Halle 3  
003 745 031




f

TA → OL

nur 5 Bisher verknüpft

WOM





B.I.G.

Farbkarte #13

PECIALI  
INIVM

449

36

1666 17

GURALIS,  
DICS

UM DOMINO

SSIMI, AM-  
LENTISSIMI  
N ILLUSTR  
SIUM


ribus & Privile-  
onsequendis.

disquisitioni

ITGENSTEIN,

s,

n.



ATI

ELPERI.

LXVI.

